



BVSTVVM
VIRGINIS
MAGDEBVRGICAE
 Historicâ & Politicâ luce
 illustratum.



ANNO M DC XXI.

11. 719.





Vem sæpè transit casus, aliquando inue-
nit. Didicerit licet Superba Parthenopolis, dome-
sticæ contemptim vexare mitras, Romanas idem
ludificare Aquilas, hostem iam quartum,
cætera potentem, Regnorum imò domitorem, e-
liminare, non tamen didicit, nunquam vinci. Re-
perit sanè & istud supercilium denique, vt fuisse
se, quam esse, solidiùs agnoscat; tanto nunc minùs superbum, quã-
tò minus esse, quam superbire potest. Neque verò hanc cladem
victori debet, sibi debet, debet infidis auxilijs; credidisset his mi-
nùs, infelix suo Magdeburgum fastu, maius nunc esset; staret sal-
tem, nec pro Vrbe, vrbis locum reliquisset. Nunc quæ esse penè
desijt, cæpit esse exemplum, omne sub regno grauiore, regnum
esse. Nam post & victorias, & muros adhuc perfringi insuetos, an-
tiquas inconciliatè dum spirat glorias, impatiens fræni, velle jus
Cæsari dare, non accipere, arrogantem, præteritorum memoriâ,
in animum induxit. Ea propter prælicenter cum hostibus Ferdi-
nandi Cæsaris pacisci, eorum successus promouere, suos facere,
morari Cæsareos, euertere etiam, modis omnibus hostem præse-
ferre, fateri etiam palàm, quod esse se tot argumentis demonstra-
bat, non verebatur. Itaque ostensa illi eminus adhuc, adulto iam
Anno M DC XXIX. Cæsarea Ducis Fridlandiæ signa, terrori vt es-
sent; dissuasa momentis validissimis damnata factio, læsæque Ma-
iestatis Cæsareæ rea; pax imò illi, præ meritissimo bello, decreta;
quam cum Maritimarum adsuasu Urbium, tandem recepisset, ab-
ductus quam mox Cæsareus miles, delictis enormibus facta gratia,
mulcta denique & ipsa, reponendis sumptibus, in Exercitum illius
causa conscriptum dicta, à Clementissimo Cæsare, & promissâ so-
lum, iuratâque fidelitate Magdeburgi contento, fuit condonata.
Non altas autem ea promissio, iureiurando licet testata, egit Mag-
deburgi radices; fidesque tam sanctè Cæsari data, intra verba dun-
taxat,

ANNO M DC XXXI

taxat, formulasque sponsorias constitit, eius enim vanitatem, anni insequentis æstas maturavit, & publicavit. Nam factâ irruptione, in Imperij Romani fines, illato nec indicto quidem bello, iureque in solis armis quæsito, cum Gustavus Adolphus Sueciæ Rex hostili manu, non possidere tantum aliena, sed & aucupari, & invadere nil pensi duceret, creuerunt iterum Magdeburgo, posita ad tempus cornua, exemploque à Germanâ fide degeneri, alijs Urbibus rerum nouarum cupiditate gliscentibus, & in occasiones omnes, rei perfidè gerendæ tacitè intentis, viam præiuit; quæque inter Vrbes postrema ferè fidem Cæsari dederat, prima iterum, impiè fractam, recepit.

Armare ergo quam mox sese, Regem Sueciæ Reip. patriæque hostem aduocare, ciuitatem illi committere, leges ab illo accipere, Cæsareanos domi, forisque profligare, & quoquo posset modo, Socio se sanguine caput cruentare. Receptis hac de causâ in Urbem Christiano Wilhelmo Brandenburgico, & Theoderico Falckenbergio, Aulæ Sueciæ, & Legionis ductore, cum valido milite, in cruduit perfidia; valla, fossæ, propugnacula, tumultuaria manu circumquaque surrexere, suâque opinione Vrbs sibi videbatur immortalis. Aduertit ista Magdeburgi tumultuantis insolentia, fidos Cæsari, patriæque Principes, Ratisponæ tunc, pacis causâ, commorantes; decreta continuò principijs tam periculosis, ac dubijs remedia; missus à Cæsare miles, qui excursionibus obstitere, præsidia vicina tueretur, rei que gerendæ esset attentus. Cinctum contentiore tamen, obsidione Magdeburgum denuò, Anno Supra millesimum sexcentimum trigesimo primo, oblata pacis argumenta, effectum apud rebelles, & regijs Sueci promissis superbe diuites, nihil. Aberat per id tempus, Supremus Exercitus Cæsarei, fæderatorumque Catholicorum Principum Legatus, Illustrissimus Ioannes, Comes Tillius, terror ille, & iam duodennis ferè Rebellium Victor, Regem Imperij Romani hostem, & esuritorem, trepidum aduentu suo, ac fugitantem, quæritans, vt nihil admodum, distracto exercitu, solide perfici posse tunc crederetur. Is cognitâ Rebellis Magdeburgi obfirmatione, nactus occasionem prolectandi simul Regis, Vrbi, ob liberationem fide Regiâ desponsam, obnoxij, magnis itineribus Magdeburgum, quinto

Mensis Aprilis die, accessit; auctaque Obsidione, latera actutum Ciuitatis, Illustrissimis Comitibus, cis Albim Wolfgango Mansfeldio, vltra Albim, Godefrido Pappenhemio, supremis Tribunis, illi quidem Cæsarei militis, huic Catholici fæderis, infestanda commisit. Dispositus igitur miles, arctiore cinctu Urbem clausit, & ad nutum, imperiaque Vrbi rebelli noxia, strenuè his Ducibus, est apparatus. Itaque nono Aprilis, imperata Pappenhemio prima incurfio; qui, vt est animo eximiè incitato & heroico, nihil cunctatus, difficilem prouinciam adgreditur intrepidè. Stabant pro Magdeburgo, visenda quinque propugnacula, ad Albis ripam opportunè hostibus obiecta: adhæc vt tutior accederet, vsus illuni nocte, propiorem se stitit, & Munitionem, quam elati obtrectatores ipsi cognominem a statuerant, diluculante statim celo, maioribus verberare tormentis ocepit; inquam, ViceColonellus etiam Grotta, & ipse bellicosæ Vir indolis, perruptis quibus vndique horrebat pilis, ac senticetis interritâ dexteritate confestim euasit, cæsoque cum Duce præsidio, cadauera rebellium in præterfluentem sparsit. Aderat in re præfente ipse Tillius, qui vindictis, tantillâ operâ Pappenhemij insultatoribus, animos impulsere victoriâ adhuc non attritos, in alterum concitauit propugnaculum, vtique masculum magis, quia à Succursu Magdeburgico nominatum, b Irrumpitur ergo pari ardore, successu pari; decusso enim principio statim protectoris Tribuni brachio, miles exemplo manci Ducis, manus dare hil dubitauit, vitam abiectis armis precatus. Promota hoc modo, flagrantibus militari gloriâ animis, est victoria, ad tertiam vsq; munitionem, illam Tillio spernendo c superbè positâ; hanc vt primum Pappenhemius miles vidit, vicit; repugnatum in illo nihil est, ducenti cum Duce, Victoribus se permisere, cæteri in naues accepti, secundo quidem flumine sine remige, non secundo tamen consilio defluerunt; eoque quo necdum quidem appulisse se sciunt, deuenerunt: ita enim à Tillianis, in ripâ, præteruectis applausum fuit, vt qui portorium Magdeburgo penderent, non essent. Actus igitur in tergemina dies hic victoriâ, non peractus tamen; nam & vesperam, Mars secundus, casu nec opinato, nobilitauit. Pappenhemius receptui cum caneretur, Legionem Sabelliam,

a Trus Pappenheim. b Magdeburger Succurs. c Trus Tilli,

cam, aliquot de suis manipulis, auctam, Munitionis quartæ valla, Panico terrore lufurus, iussit incurfare. vertit is iocus illico in ferium; nam Sabellicus miles, Damini hostibus traditi memoriã ictus, ambitione militaris gloriæ, tanto impetu in hostem se infudit, vt is deserto propugnaculo, in fugam properè difflueret, itaque & generosi præsentiam animi ostendit, & ignauia, deditione Damini contractæ, opinionem, in militarem disciplinam reiecit. Quietum eâ nocte, in meridiem vsque, diei sequentis; quo educta iterum in hostem, Sabelliana Legio, Crakauiam proximè Magdeburgum; situm ibi erat propugnaculum, geminâ turri tutissimum. Cæptâ igitur irruptione, Miles Magdeburgicus fugæ consilium, cæpit, & tutiora meditatus, stationem deseruit, valloque ignauè vacuefacto, salutem in vtrâque turri quæsiuit, in neutrà reperit: eos enim spiritus oppugnationi turrium intulerunt Tilliani, vt primo statim impetu, extra teli iactum constituti, solis lapidibus aliquamdiu, donec perfringerent, paterent. Reperto itaque absque morâ aditu, turrim primam vi suam fecere, contrucidatis, quotquot in eam sese receperant omnibus. Nec sustinuit altera impetum, funesto prioris exemplo terrefacta; deditioneque pactâ, vitam miles seruauit. Ad hoc spectaculum indoluit Magdeburgum, & impatiens tot cladium, talionem moliebatur præcipiti potius, quam prudenti eruptione. Excurrere igitur in Tillianos, pro turribus, & propugnaculo, manus conferturi, quas facili negotio ad interuersionem cæsi dedissent, nisi vim victorum fugiendo, quam dimicando maluissent experiri. Cæsi ergo eâ in fugâ, capti, submersi multi, reliqui in vrbem recepti, damnum quod sarcire parabant, auxerunt.

Non cessatum interea vltra Albim; Mansfeldius eâdem nocte tribus munitionibus, quantumuis acriter repugnaretur, pro eâ, qua excellit, rei militaris scientiã, & fælicitate, potitus, hosti vastitatem fecit, nemine de defensoribus istis elapso. Irrubuit igitur, etiam hac ex parte, non cruore solum, sed & pudore, fælicitati Tillianæ indignans Magdeburgum; & equitum, peditumque solito validiore numero, erupit iterum postero die, magno id quidem conatu, nullo tamen prouentu, nisi quod maturâ fugâ, conspectum Tillianorum, primi ordines, postremis inuiderint, quos prius

fugere, quam hostem cernere, armorum Tillianorum splendore
ominus fulguriti, coegerunt.

Hæc dum geruntur ad Magdeburgum, Suecus obsidione Vr-
bem, fidemque datam liberare diffusus, Francofortum ad Oderam,
proditione Ciuium illectus, & militum præfidiariorum imbelliâ
adiutus, contendit; Vrbeque suæ potestatis factâ, direptâ, & spo-
lijs in Sueciam missis, (ô præclarum custodem ouium, vt aiunt,
lupum!) Landspergam promouit. Tillius ratus iter Regium
Magdeburgum spectare, obsidione properè dispositâ, partitoque
milite, cum delectâ manu obuiam Regi procedit, certus conflige-
re, si fors dedisset. Cognitâ autem digressionem Sueci, maluit cæ-
ptam repetere obsidionem, quam incertis itineribus cunctatorem
inquirendo, militem fatigare. Redijt itaque Magdeburgum, &
Suecum liberandæ Urbis promissione obligatum, resumptâ quam
antea arctiore oppugnatione, statuit præstolari. Quare Aprili
exeunte, 28. die, Pappenhemio Munitionem vnam de præcipuis,
Insulæ impositam, vastandam committit, quam superato etiam
magnis periculis fluuio, alacriter adgressus, nullo militis facto di-
spendio, pecorosâ potitus prædâ expugnauit. Exactâ dein nocte,
pensum militi diurnum præscriptum, duo fuere propugnacula,
quorum vnum actis in aggerem cuniculis suffossum Grottâ Duce,
alterum spontaneâ præfidiij fugâ desolatum, in potestatem Pappen-
hemij receptum est. Operosior multò diei sequentis, exitit la-
bor. Telonium duplici opere munitum, propugnaculo solidè fir-
mo Vrbi cauit; huc ergo vires conuertendæ, armaque victricia in-
ferenda, quod tanto conatu Tilliani præstiterè, vt Dux Hollstei-
nius, Wanglero Colonello suppare, breui tempore, extimas pro-
pugnaculi proiecturas, vallique palis coronati cinctum attigerint.
Iamque tormentis maioribus via irruptioni fieri cæpta, fugatique
missilium globorum fulminatione in interiora hostes, cum repen-
tina cæli inclementia, ventorum, imbriumque tam coniuurata,
pertinacia, omnem rei eo die bene gerendæ, ademit occasionem.
Abductus ergo necessitate miles, eâque nocte Hyberno quasi cum
frigore colluctatus, manè primo, ad mitiora iterum composito cæ-
lo, terrâque dilapsis aquis solidiusculâ, ad munitionem pridie de-
sertam, duabus horis diluculum præuertit. Stetisset ea irruptio,
quam

quam moliebantur, haud paruo, si hostes restitissent; quia tamen galeati illi lepores, metu in urbem regressi desertam fecerunt munitissimam stationem, Tillianis illam, vna cum alio, Albi etiam imposito propugnaculo, reliquerunt, Telonio duntaxat quatuor locis inflammato, quod succenso vicissim Albi ponte, facili negotio restinctum est. Atque ita Cal. Maij, eâ pontis deflagratione, Albi in potestatem Tillij venit, spesque Magdeburgo omnis auxiliij præcisa, & obsidio ad ipsa tandem Urbis mænia producta. Iam in eo res Magdeburgica versabatur, vt in hostis manu salutem suam spectaret, & extremam perfidiæ suæ catastrophem dare cogeretur, nisi Victoris clementia intercessisset. Tillius ergo suam ipse fortunam stitit, & chartis, quàm hastis, quod ipsi procliuè tunc erat, expugnare Magdeburgum maluit, nec quidquam habito Sueco, qui fidem redempturus, Vrbi imminere ferebatur. Ad Marchionem, igitur Brandeburgicum, Christianum Wilhelmum, Administratorem Magdeburgicum, quem se ferebat, hæc scripsit.

Illustrissime Marchio.

Meminerit Illustrissima Cels: Tua, quo affectu ad Ill: Tuam Cels: Halberstadio dederim dissuasorias, à tam noxijs, & in S. Cæs. Maiestatem tam iniquis, rebellium quorundam, paci que grauium auctorum consilijs, suaserimque vt Illustrissimorum Natalium, præeminentis in Imperio dignationis, & famæ suæ memor, se digna conciperet, ac præstaret debitâ subiectione S. Cæs. Maiestatem, à meritissima tot rebellionum vindictâ, alienis calamitatibus cauti-
or, abstineret. Sperabam eum locum admonitionem meam re-
perturam, quo animo à me profecta fuerat, contraria tamen om-
nia, quotidiana, & alia aliam trudens rebellio, ac illa priuatim per-
duellis Magdeburgi incitatio, significant, vt si eam proporro facti-
osè perseueret, non tantum extremo se discrimini, vna cum Mag-
deburgo inuoluat, sed tot miser è perditorum ciuium, coram Deo,
se faciat proditorem. Quare vt suæ, Ciuiumque saluti, rebus pro-
ximè interitum tam manifestè constitutis, consulat, nôritque Cæ-
sareum militem æquitatis, quam sanguinis sitientiosem, moneo,
hortorque affectu pristino, vt cœptam rebellionem, vel iam deni-
que

que desinat, arma læsæ Cæsareæ Maiestatis rea ponat, Magdeburgum ad paria exemplo suo exstimulet, Augustissimoque Cæsari se se permittat: efficiet hac ratione non tantum sibi clementem, condonata tam graui culpâ Cæsarem, sed & Magdeburgo non inclementem, quod defectis omni opitulatione, eorum qui magnis pollicitationibus magni videri, & vos miseros esse volunt, non erit difficile, sed necessarium. Westerhusij 4. Maij 1631.

Eiusdem ferè exempli, misit alias ad Senatum, & Ciues Magdeburgi, vt & illorum animos, ad spem veniæ erectos, ab vltimâ clade auerteret, in hæc verba.

Quorsum vos neglecta, & nefariè spreta, S. Cæs. Maiestatis imperia, monitâque deduxerint, vel ipsi lachrymantibus oculis videtis: accisis enim rebus omnibus, diuino nutu, in eo salus nunc vestra vertitur, vt nî cauetis, breui euersam doleatis. Quando igitur adeò vos obbrutuisse non reor, vt Clementiam Cæsaris, debitâ subiectione demereri, vosque, cum hac solâ possitis adhuc viâ, indemnes præstare, non velitis, constitui has, pro eo quo sum in vos, vestraque studio, ad vos dare, hortarique vt positis quamprimum, rebellibus armis, tot modis Cæsari obnoxij, actutum in ordinem redeatis, certus, prudenti rerum omnium ponderatione, eam vos recepturos mente mî, vt non lubeat, vos, vxores, liberosque vestros, cum omnibus fortunis tam ineuitabili ruinæ expositos, perditum ire. Versantur sanè in oculis vestris, non discrimen modò præsentissimum, sed & illorum, qui vos in illud, magnis auxiliorum spebus repletos, coniecerunt consilia, omnia vos aduersum tendentia. Adiungo istis vestro bono transcriptas, quas ad Illustrissimum Marchionem, & Aulæ Suecię Regis Mareschallum dedi. Atq; ista vobis significanda, per certum hunc tubicinem, duxi, quamprimum igitur positis ambagibus, disertè respondete. Westerhusij 4. Maij. 1631.

Nec præteritus hac eâdem de causâ Theodoricus Falckenbergius Urbis præsidio Magdeburgo additus, à cuius propè vnius ore rebellis Ciuitas dependebat; hic quoque vt cœptis modum statueret, hanc à Tillio legit epistolam.

In extrema salutis linea Magdeburgum, malignâ eorum incitatione, qui rerum nouarum cupidi sunt, & interitu aliorum lætantur,

tur, suoque merito consistere, nimium quam clarum tibi esse, nullus ambigo. Quia verò neque mihi volupe est, tam miserandi infortunij spectatorem esse, quod declinari præsertim præstitâ Cæsari subiectione, ac fide, negotio scilicet tam potest paruo, & quod familiam ducit etiam debito, neque vlli mortalium honestum, Deo, posterisque probabile est, sponte in interitum ruentes, tam ciues Urbis adeò populosæ, quam milites Regis, pessimis animare consilijs; ea propter te Rom. Imperij municipem, officij, fideique Cæsari iuratae, commonere decreui, vt desistas Magdeburgum vllis de cætero in Cæsarem concitare modis, aut in malè cœpto rebellio fouere, sed quod æquitatis, ac officij tui est, à tam periculosâ pertinaciâ, omnibus præsertim suppetijs destitutos, velis potiùs dehortari; neque enim mihi persuadeo, aliter vel Regem tuum, hoc rerum statu, facturum, vel vt faceres, præcepisse. Westerhusij 4. Maij. 1631.

Hic ergo nouus, & si causam Urbis spectes, potens, si Cæsaris, clemens fuit aries, quo perfidum tot modis Magdeburgum insultabat Tillius, ad quem tamen præter verba repositum nihil fuit: Ita enim Brandeburgicus rescripsit.

Illustris Comes. Legi, ac perpendi, quas à tubicine tuo accepi; in votis hoc vnum erat, S. Cæs. Majestati debitam exhibere reuerentiam, si ab illâ profectas cognouissem. Cæterum quidquid adhuc à me gestum est, scias ex Christianæ legis formulâ, pro generis mei amplitudine, processisse, nec vlli me mortaliâ, multò minimè Augustissimo Cæsari, Domino meo, contra quam fidelitas mea sinat, vnquam incommodasse, neque dum arma, me, meaque immerito impugnantia, vi superis, medijsque probatâ, propulsaui, extra Iuris æquiuè limites me prodijisse: Deum, acta publica, tabularia Cæsaris testor, nihil designatum à me, nec contra Maiestatem Cæsaris inconciliatè, nec contra Iura legesque Imperij inconcessè. Nunquam sanè res eò euasisset, si quam facilem meæ postulationes habuerunt audientiam, tam facilem quoque Episcopiorum Halberstadij ac Magdeburgi legitima electio, reperisset tutelam; nec me inauditum denique, qui tueri debebant, iure meo exturbassent. Neque verò deinceps etiam quidquam, Deo duce, adgredi iudicatum habeo, nisi bono, Reipublicæ, Verbi di-

B

uini,

9.
nini, & pacis Religionis, tot votorum myriadibus, suspiria inter,
& lacrymas, expetitæ. Non opus ideo fuisset monitis memori,
neque beneuolentiâ, quam tamen veneror: illi viderint quibus se
Deo probent argumentis, qui summa imis miscere, omnia emerte-
re constitutum habent. Ne quid nimis tamen, minusne videar e-
gisse, re præsertim tam ancipiti, ac lubricâ, quæ non me duntaxat,
non Magdeburgum solû, sed vniuersam Rem Evangelicam, Status
Protestantes omnes, quibus pronuper Lipsiæ, hæc talia publicum,
priuatumque bonum totius Imperij spectantia, cordi fuerunt, Se-
renissimos Electores cognatos meos Saxonem ac Brandeburgi-
cum, in consilij istius communionem adhibebo, vt tandem ad o-
ptatum finem pertingamus; dummodo interceptus nobis, inter-
nuntijs nostris pateat commeatus. Ego quemadmodum de Sere-
nissimorum Electorum fide, tam erga Cæsarem, quam Imperium,
ac meipsum nihil quidquam ambigere habeo, ita nihil deo
subuereri, de Rege Sueciæ, pacem publicam priuatæ, nobis-
que obnoxia tutelæ prælaturo, quominus de quiete Patriâ consi-
lia agere, & peragere possimus. Quâ in re, meis ego parti-
bus me non defuturum recipio, rogoque vt consilium meum ac-
ceptare, Legatis nostris fidem publicam, nobisque interea inducias
largiri velis; quo modo licebit & Cæsari, & tuo nomini, & Rei-
publicæ, ac posteritati gratificari. Margdeburgi 7. Maij. 1631.

Hæc Brandeburgicus, ratus ius à reis, quàm à iudice clemen-
tius dici; nec meliora rescripsit Senatus Magdeburgi, cuius hæc
fuit epistola.

Illustrissime Comes. Legimus & nos, & quorum intererat,
redditas per tubicinem Excell. Tuæ litteras. Nos vero, perduel-
lionis reos, nos esse non agnoscimus; neque verò in mentem ve-
nit, tantum designare crimen, de quo nos, & ipsa S. Cæs: Maiestas,
& Excell. Tua, spectatâ, & laudatâ in Cæsarem fide, Luneburgi co-
ram Legatis nostris, absoluit. Ac nisi pollicitationibus, cautio-
nibus Mandatis etiam Cæsaris, à quibusdam Urbis huius æmulis,
sexenni vexatione, interclusis commercijs, prouentibus interuer-
sis, Religione turbata, contraria passi fuisset, nunquam huc res
nostræ recidissent; nunquam ad iusta arma descendissemus, non
quidem aduersus Cæsarem, cui submisisse paremus, sed eos, qui neg-
lectis

lectis Mandatis Cæsaris, pessimis nos modis mulctarunt; de quibus datis ad S. Cæs. Maiestatem litteris, Mense Nouembri, Anni elapsi, prolixè questi sumus, scripto postea luci dato, quod Excel. Tuæ transmittimus, nec ambigimus, si causa nostra S. Cæs. Maie-
 stati, vel Excell. Tuæ accuratiùs liqueret, nullo suo bono, qui nobis tam diu incommodârunt, culpam hanc laturus. Cum igitur Vrbs nostra immerito grauetur, merita exspectat remedia, quæ nos cum hoc rerum nostrarum statu, Serenissimis Electoribus Saxoni, ac Brandenburgico, fæderatisque Ciuitatibus Maritimis dispicienda, disputandaque commitemus; missis ea propter certis actoribus, quos vt, rei expeditius gerendæ, fide publicâ, vltro citroque com-
 meare queant, sepositis tantisper armis, enixè flagitamus, Magdeburgi 6. Maij. 1631.

Ita nunquam deest nocentibus innocentia, desunt potiùs qui speciosè dictis fidem accommodent. Laudatam Cæsari, Tillioque fidem suam gloriosè iactant, quasi si quis improbus nasceretur, & hominem nunquam non malum sit reperire. Nec Iudas laudis ad-
 eò inops fuit, vt nunquam meruerit laudem, non antea malus quàm fur, proditorque esse inciperet. Nec defuit Gracho innocentia, priusquam ad seditiones animum appararet: desierunt vterque lau-
 dari, cum probi esse desierunt. Magdeburgi fidem prædicârunt vel Cæsar, vel Tillius, proximis sanè annis, recepto intra mœnia Imperij hoste præsertim, scimus non prædicâsse. Atque hoc ipsum à lau-
 de alienum est, parere velle Cæsari ex sententia duorum Electorum, consilia plurium, Cæsari, & Imperio apertè adhærentium, asperna-
 ri: quasi Cæsaris mandata tunc demum sacrosancta fiant, cum à duobus his Electoribus rata habentur. Itane verò Tillio prudentiam indormisse putatis, vt longinquas vestras postulationes, in caput suum collineare non videat? auxilia hoc ad rebellandum, non con-
 silia ad obsequendum est postulare: Suecum enim, si non & alios, sperabant, cuius expectatione aures Magdeburgi assiduo circum-
 sonabat Falkenbergius, qui & ipse immodica sui Regis opinione, superbus, vix paucis Tillio respondit, his verbis.

Illustrissime Comes. Quo minus ad litteras Excell. Tuæ pluri-
 bus rescribam, causam accipio ex solidè neruoso, Illustrissimi Mar-
 chionis, ac Senatus, responso: superest, vt quæ de animo ad mitio-

ra laudatissimè propenso scribuntur, Magdeburgum re ipsa spectare possit; nec ego vicissim mihi deero, quæ enim Deo, ac posteritati probare potero, hac occasione præstabo. Magdeburgi 7. Maij. 1631.

Tantos adhuc spiritus aluit Magdeburgum, ipso fortunæ suæ in naufragio, quos litteris scriptis non tantum tegere non potuit, sed & factis apertiùs non voluit dissimulare, nullum hostilis animi præmittens argumentum. Disposita igitur erant omnia, vt extrema velle pati, quam submissè agere viderentur decreuisse; nam & suburbium Sudenburgense iniectis flammis exustum Falkenbergij decreto, quod vt benè verteret, & rei Catholicæ, quam oppugnabant egriùs esset, à templis auspicabantur. Præsidia deinde omnia in Urbem recepta, nouis aggeribus circummænita valla, omnia repellendo Tillio profutura, magnis molitionibus elaborata.

Tillius igitur familiaris Urbis infortunio motus, cum saluam seruatis Ciuibus Urbem, quam crudeli vastatione, qualem tanta exstimulabat pertinacia, euersam mallet, Serenissimum Saxonix Electorem, Oratorem apud ipsos vtique impetrabilem, vt transcriptorem agere dignaretur, his litteris est hortatus.

Serenissime Elector. Quousque inobsequens, ac contumax Magdeburgum abduxerit imparientia, palàm permanauit, non absque totius consensu vicinix, ea propter mille modis diuexatæ. Rogaram quidem antea Serenitatem Tuam, vt eam, quâ in Imperio pollet, interponeret auctoritatem, & quod ego ipse Sollicitè, grauiterque præstiteram, ad saniora rebelles incitaret; antiquum tamen obtinet, nihilo facti meliores; accensa imò miris incrementis ferocia, quod & Lipsiensibus decretis, & externis suppetijs præfidant. Quia verò peregrinis huiusmodi auxilijs, quibus priuata alienis propiora esse solent, tam Serenitatis Tuæ, quam aliorum Principum prouinciæ, ac subditi, viriè periclitabuntur; experiendo namq; compertum est, exterorum Principum auxilia, eò semper respectasse, vt quæ per illas tuta fuere ab hostibus, tandem à defensoribus ipsis fierent intuta; eâ gratiâ demissè Serenitatem Tuam iterum oro obtestorque, vt seriâ iam tandem admonitione, Magdeburgum ad obsequentiam inducere, certisque à periculis vindicare allaboret. Quod si ad obsequelam quamprimum se non dederint,

derint, & vel ab ipsis, vel à fæderatis, alienigenis, auxilijs Imperio illatis quidpiam nouatum fuerit, nihil ambigant pro Cæsare maiores multò suppetias quamprimum, pessimo quidem sed necessario Imperij malo, militaturas. Westerhusij 10. Maij. 1631.

Hæc Tillius Saxoni; Marchioni verò Brandenburgico in hæc, verba statim, acceptis litteris, respondit.

Illustrissime Marchio. Cum nihil, quam ipsis experimentis constare, malim, non aliò cogitatus, meos me diuertere, quam ad firmandam in Imperio Cæsaris auctoritatem, ac necessariam subiectionem, idcirco postulatum comneatum Legatis vestris præstabo: istud tamen Illustrissimam Tuam Cels: diligentius exputare velim, cum ea consiliorum communicatio, longiores requirat moras, quas res nostra desiderat breuiusculas, præstare officio Cæsari attemperatè exhibito, consilium in arena prudenter, quam remotis in locis periculosè, captare. Quod si quid ex illâ, rei necessariæ, procrastinatione Vrbs captura sit detrimenti, illud præstabunt cunctatores, ego quæ necessitate facturus sum, iure fecisse, DEO, Orbique vniuerso facilè probauero. Westerhusij 12. Maij. 1631.

In hanc insuper sententiam quia rem ex composito geri, & que ius fasque à rebellibus exigerit, ampliùs quam par erat, protolli anim aduertit, alteras has ad Senatum dedit.

Quod non nisi auditâ Serenissimorum Electorum Saxonis, & Brandenburgici, Ciuitatumque Maritimarum sententiâ, de re vestrà nobiscum sedeat transigere, accepi responsum; nec est quod admodum dissentiam; cum enim de Cæsaris agatur auctoritate, nullus dubito, hos ipsos ad quos consilij ergò confugitis, à vobis fore alienos. Comneatum ergo do lubens; subuereor tamen ne fraudi vobis sit, hæc causæ vestræ comperendinatio. Si (quod vestri iudicij sit) maturaueritis quæ Cæsari iure debetis, compendio rem agetis, & sine dispendio; sin autem, euentus contrarius testabitur, vestrà, non meâ id culpâ accidisse. Westerhusij 12. Maij. 1631.

Falkenbergio superbè respondentem, rescriptum paucis; responsum ad suas, eū habiturum apud illos, per quorum literas rescripsisset. Ne quidquam denique clementiæ desideraretur, epistola ad Senatum, ab imperato tubicine, in foro lecta, sed neque spem Tillij,

nec salutem civium permouit; obfirmasse enim omnes, nulla prae-
 eis consilijs maturatio, sed quam ante id hac proteruior Magdebur-
 gi insolentia declarauit; interdium siquidem, & internoctu, maiori-
 bus machinis castra Caesaris verberata, ipso etiam veneno, barbarè
 in Caesareanos, à Succo milite, fuit pugnatum. Nec deerant focu-
 landæ in Caesarem perfidiæ opportuni, etiam in suggestu, Luthera-
 ni Prædicantes; hi rem figmentis gerere instituerunt, mellitoque po-
 pulum veneno intoxicare, & à salute, duriusculè propinata fastidia
 Magdeburgi accendere consultum duxerunt. Quinto decimo
 igitur Maij mensis die, in consueta pulpita conspirati prodire; ut-
 que illis mendacia pro halitu esse solent, certam de Tillianis victo-
 riam polliceri, verecundiæ non fuit. Quid enim uero, declama-
 bant, nobis Tillius? Maiores fregimus lacertos, Tillius non aliâ,
 quam quæ priores abduxit hostes, sequetur viâ. Hæc cæli pollici-
 tatio est: visus enim nobis è cælestibus Genijs, aspectabili formâ,
 huius Urbis Tutor, præpete volatu, mœnia, turrets, tecta omnia, au-
 spicijs secundare optimis; nocturnas ille dum agit excubias, quid
 metuimus? diurni hostis sub cultro nos non relinquet. Magnum
 hoc mendacio perfidia accepit incrementum; omnibus in templis
 est coniuratum, & vitam prius, quam manus dare, præeuntibus
 concepta verba Prædicantibus, vno ore, animoq; decretum. Hanc
 nouè conceptam populi ferociam, non tantum sensit miles oppu-
 gnator, sed insolito etiam more furiatum, templis sedecim in cine-
 rem, nullo vindice, subsidentibus, ipsum quoque cum horrore spe-
 ctavit Magdeburgum. Iam conclamata reserat Catholica omnis,
 passim in sacras Diuorum memorias itum, statuis sacris ius, impiâ
 temeritate, dictum, succensa Monasteria, præsens Victoria trium-
 phum totâ concinebat Vrbe. Interea neque Tilliani cessatores e-
 rant, quâ parte Vrbs Meridiem respectat, vallis, fossisque, robustis-
 simè triplici serie dispositis, circummænita, illâ Mansfeldius, Farns-
 pachio comitatus, infestus esse cepit. Sensere tunc hostes, & præ-
 felices Mansfeldij conatus, & nobile Farnspachij ingenium, qui nu-
 data cuniculis mæniorum fundamenta, è latiore fossâ, in quam de
 maioribus tormentis quatuor receperat, globis ferreis tentauit, &
 ruente fundamento, supernam deiecit structuram, magno incolâ-
 rum annisu sarcendam. Passum per eos dies varijs locis Tilliano-

rum

rum Ducum solertiam Magdeburgum, adeò enim propè admo-
 rant castra, vt Urbis ruinæ etiam impunè imminerent. Quare me-
 tuens Falckenbergius, ne qua pacis captandæ cogitatio Magdebur-
 gum irreperet, animos ciuium euigorandos suscepit, hortatus vt
 fortunam maiorum suorum in consilio haberent, eaque quæ & Sa-
 xonici, & Hollandi, alijque à fæderatis submissi artifices, ingenio-
 sa machinatione essent architectati propugnacula, cum muris, ca-
 teroquin inuictis adhuc, animosè contemplarenrur. Examinatam
 etiam annonam superbè respondisse; vini omnigeni, cereuisiæ, fru-
 menti, omnium rerum dimensa, in annos propè, victui suppetere;
 armaturæ apparatus, etiam necessitatem superare; Sueciæ deniq;
 Regem propediem adfuturum iurato promisit. Nouis ergo reple-
 ta animis Ciuitas, ferocire iterum, in propugnacula confertim ru-
 ere, infestis armis nullo modo videri velle innocens: ipsi etiam præ-
 sidio se immiscuère sarculati duntaxat Agricola, quorum nongen-
 tos in Vrbe numerârunt. Quin & foeminis creuere dentes, actitare
 excubias, pugnaturire, procacem armare in Cæsarem cœperunt
 linguam. Ac ne quid religionis firmatæ Rebellioni abesset, Prædi-
 cans è suggestu omnibus diris caput illud deuouit, quod de pace, &
 deditioe ageret, cogitaretque, decretoria huiusmodi ciuem, mi-
 litemûe sententia, æternis inferorum incendijs addicens. Interea
 res Magdeburgicæ arctiores fiebant; videbat & ipse Falckenbergius,
 metu iam propè externato Brandeburgico, Tillianos inualescere,
 Urbemque excidio esse propiorem; nam in castris, Tilliano Strate-
 gemate, modo hac, modo illâ ex parte, imperati exaudiebantur tu-
 multus, non dubij irruptionis vt putabant statim imminentis pro-
 dromi: Senatui xix. Maij mandauit, vt si spes Victoriæ, læuâ belli
 fortunâ, decollâset, hosti Pontificio, Urbem suppositis ignibus e-
 riperent; iussit & armigero, vt se viuum in hostium manus deueni-
 re, sepositâ in eum casum glande plumbeâ, non pateretur. Insuper
 etiam præsidia insultui repellendo necessaria disposuit, totoque il-
 lo die in armis esse coëgit, ratus minimis momentis irruptionem
 Vrbe abstineri. Obuersabatur ergo iam tandem non tantum Fal-
 kenbergio, & Brandeburgico, quamuis id tacitè suppresserant,
 propius ob oculos infortunium, sed & Victoria Tillio cælo decreta
 Cæsareanis, etiam qui in Vrbe tunc habebant. Nam haud multò

ante

ante Antistes Nortbertinus, monitus vt sacrificio necessarias, & ad exiguum redactas numerum hostias, procuraret, respondit, has ipsas, donec Tillius Vrbe potiretur, suffecturas. Hoc ergo ipso die, cum postremâ lætasset, præfagio fides facta est.

Fatigatus interea exspectatione hostis Falckenbergius, totum diem in excubijs impransus, & quia neque noctu quidem tumultuari desitum erat, etiam incænatus, ac insomnis perstitit. Albescente tandem in crepusculum vigesimo Maij Mensis die, cum & quieta sensim Tilliana castra, & milites (ad hanc scilicet stropham destinatos) aliena animaduerneret actitare, quæ imminentem irruptionem dissimularent relictis leuioribus excubijs, maiores abduxit, & corpora curare iussit, vano, vt rebatur, sed molesto perfunctos metu milites, non multò ante datis, acceptisque sarcasmis præferoces, & quod caput erat, in Deiparam sacrilegè impios; nam cum & maledictis Tillianos acriter proscinderent, & ad pugnam surperbè provocarent, auditi etiam magno numero, qui, Vbi est illa Dea vestra? in clamate Mariam, validam illam, si dijs placet, opitulatricem, & id genus sexcenta, maledico ore iactabant. Abierant igitur pars in somnum, pars in pocula, pars quo sui securos voluptas trahebat: iacebant exarmati, quiescebant incurij, græcabantur etiam perquam multi, de captura Urbis, sepulta omnis cogitatio. At Tillius complusculis inter nocturnas preces horis assiduus, vnicâ quieti datâ, duobus sacris operantibus prius assistens, castra lustrat, militem spe Victoriæ plenum animat, disponit ordines, consilia sua, decretaque de Vrbe capiendâ Ducibus dispensat; omnibusque ritè constitutis, visâque alacritate Ducum, & militis desiderio, nec opinante Magdeburgo, datis in tesseram sacratissimis IESV, ac Mariæ nominibus, paratos rebellem ire iubet in Urbem. Nec mora, fit repente irruptio, admouentur scalæ, tentantur valla, fossæ, muri. Excubiæ editis properè hostis indicijs, præsidia in clamant; euigilat attonata subitario euentu Ciuitas, Falckenbergius hæret, horret; necessitate tandem timorè dissipante cogitur miles; tumultuaria in muros aduolat manus, resistit, luctatur; sequuntur coacti militari disciplinâ ciues, alij, atque alij milites etiam somno vinoq; dubij; pars in mænia euadit, pars ad Urbis portas iussa concurrit, pars forum tenet.

Tilliani interea vndique Urbem inscendere nituntur, pridia-

NOS

nos tormentorum globos secuti, missilibus flammis, fistulisque ferreis viam munientibus, non difficilem reperiunt aditum; primosque inter, acer in pugna, alacerque Pappenhemius, in vallum euadit, victoriam inchoat. Mansfeldius heroico pede, & ipse aggerum stru-cturas premit, luctantur cum multiplici arte milites, & singulari periculo defuncti in Urbem penetrant, inter deiectos aggeres, murorumque rudera eluctati, fossam humero tenus mersi transuadant, & propugnaculum madidi, deiectis praesidijs, caesisque, occupatum, cruentant. Nec inglorius esse Grotta voluit, nam inter caeteros & ipse Martiales suos spiritus nobilitauit. Perrupta Urbis porta cum suis introgressus, Falckenbergium quo minus ei interiora paterent, aduersum habuit; hortatus ergo suos, oppellatam etiam qua Urbem ipsi aperuerat portam, vincendum hic, ait, aut moriendum nobis milites, simulque & se, & suos fortiter in hostem, qui viam obstiterat, infudit. compugnatumque erat acriter, at non diu, nam inter primos statim quos e ferreis extorserant fistulis, globos, vnus Falckenbergio lethalis fuit, eiusque casu, caeteri interne-cioni dati, Victoribus cessere. Iam portas Tillius, iam mania habebat, non posuit tamen Magdeburgi superbia, inueterato nimis rebellio in naturam versa, confluxerant in domos ciues, & lapidibus in Tillianos grandinabant, nec plura eo die, quam hac in pugna, fecere vulnera. At magno stetit haec illis ferocitas, caesi enim, matatique a concitato milite armati omnes, quos scilicet flamma, Suecorum consilio, duobus locis erumpens, & longe, lateque, nitratri pulueris dissultu serpens, non cinefecit. Lamentariam miserandae Urbis faciem, quam ferro, quam flammam depopulatae ipse obequitans Victor non sustinuit, militem ut a caedibus abstineret, flammis modum statueret, spe praemij, metuque Tillius ipse coegit. Sed ignis edax iam repagula fregerat, susti non potuit: stridebant undique crepitantibus adesa flammis tecta, ruebat modo haec, modo illa domus, & quod funestissimum erat, eadem ruinam inuoluebat, non illos solum, qui conclauia egredi, metu hostis irritati, dubitabant, sed eos insuper, qui in cellas penuarias, & inferna domus latibula, agminatim concurrebant. Nec ipsa adeo concamerationum tectoria, miserandae turbae, tam erant fida, quam promittebant: quo enim penetrare non valuit ignis, viam fumus reperit.

æstusque ab incendijs dispersus, ipsa bellica tormenta liquans. Multa hominum millia flammis, non pauca fumo, in Albi, puteis, cloacis etiam, & quidquid elementi gulæ frangendæ seruebat, quam plurimi clementiam, acerbati hostis conscientiam, desperantes, perierunt. Verbo, maiorem stragem Magdeburgo ipsi victi, quam Victores intulere. Ceciderunt paucis horis, triginta ferè Brandenburgicorum millia, ita vt vel ipsa Troia, vel Solyma Antitypon videatur hic reperisse, crudelius quidem tantò, quantò dolentiùs manus propria ferit, quam aliena. Fuerunt tamen è quadraginta hominum millibus, quatuor admodum millia, quæ Victoris Exercitus gratiam ambierunt, & acceperunt. Brandenburgicus vitam Pappenheimio debet, cuius beneficio inter captiuos receptus, Libitinæ censum euasit. Signa equestrium vexillationum viginti, peditatus quadraginta cum sexaginta maioribus tormentis, hostibus erepta. De Tilliano milite desiderati non ampliùs centum, vulnerati octingenti, pleriq; illi ex ædibus lapidati. Miraculo sanè res proxima est, tam iniquâ conditione, cum tam numeroso hoste, inter etiam Suecicâ barbarie volitantia venena debellantibus Tillianis, tantulos occubuisse: vt taceam Munitissimam in paucis Urbem, tot passam exercitus, omnium opinione inuictam, vno assultu, quamuis quod miri minùs habet, Tilliano, succubuisse.

Victoriâ igitur & Vrbe potitus Tillius, flammâque restingui aliàs nesciâ, in Magdeburgico Cinere tandem sepultâ, ad edes sacras sacrilegè profanas, Urbemque cadaueribus perpurgandam sese accinxit; triduique labore effectum, vt in eâ lustratione Exercitus basilicè opulentatus, quarto die, ad laudes Deo, Deiparæque Victoribus, ex formulâ DD. Ambrosij, & Augustini circumlato prius festâ pompâ sacrosancto Corporis Christi ferculo, peractisque sacris, in summâ æde decretas conueniret.

Iacet igitur iam nunc Cæsarum illa, Diuûmque contemptrix Parthenopolis, non tam Cæsaris quam luculentâ Dei, à Cæsare stantis, manu prostrata. Stare potuisset, nî tam impiè superciliosa, stetit se suo, non Dei nutu credidisset; nisi fulcro Suecię Regis confisa, tam superbè restitisset. Iamne tandem infelix Magdeburgum didicisti, nihil præsidij in exteris Regibus esse, in quibus basilica verba, fides fluxa, non regia est? Quid enim uero à rege expectasses, quæ

quæ à Mareschallo Regis, non protectore, cuius speciem præbuit, mentita humanitas, sed Ciniflone tuo, qualem consilij, inflammandæ Urbis, ac mandati etiam crudelitas ostendit, tam perditæ, perijsti, vt perire vix amplius possis? Sine hoc auxilio fuisses, pacis leges, toties oblatas, extremis saltem in malis, acceptâsles. Sine hoc fuisses staret saltem dimidium tui, nec omni propè ex parte cinis es- ses. Ingens clades à Suecico auxilio, vix duodenas domorum decurias, pessimus consultor superstites voluit, maluisset nullam. Suburbia ampla non exussit Tillius, Falckenbergius exussit. Supererat Ciuitas, & illa vix pagus est; non fecit Tillius, Falckenbergius funesto fecit consilio, ac mandato, quo, quam parum profuisset vi- uus, tam multum tibi nocuit mortuus, qui Regi suo te mancupio nexûque perpetuo contradere cogitarat. Ite nunc Vrbes nouo fœ- dere conspiratæ, Suecum Regem ambite, Sueco fidite, Sueci præ- sidia recipite, flagrabitis vtique cum Magdeburgo tandem: quid- quid exhaustus Polonico bello Suecus thesauris suis inferre non poterit, non minus vobis, quam Magdeburgo inuidebit; in fumo spectabitis. Nec vno Suecicam didicistis adhuc barbariem argu- mento. Promissis Regijs tam in speciem sanctis, ac certis, Magde- burgum, (Sueco eius causâ, etiam re integrâ, ne pedem quidem at- tollente) Tillio cessit. Consilio, imperioque Suecico Magdebur- gum, etiam Tillio restinguente, Cinis est; nec ciuibus vita, nec po- steris tecta relicta sunt. Francofurtum ad Oderam, Suecus possi- det, adhuc amicus, breui Dominus: Francofurti prædam opimam accepit Suecia: iam Balthicum opes Germaniæ, Sueco protectore, discunt tranare fretum. Spandauia quid misera speras? an aliud, quam vel Norimberga, vel aliæ Lutheranæ Vrbes, quæ tibi tam- quam Asylo opes suas, vt à Cæsare tutæ essent, concrediderunt? Has sibi Rex Sueciæ iamiam vectigales effecit. Iam Norimberga, paulò ante nouo auxilio triumphans, tributum ex deposito postulata, tussit, & iugum impatiens, ac querula sentit: quid si Suecus No- rimbergæ sit? Vrticæ maturè vrunt.

Miseret me tui Elector Marchio. Spandauia tua fuit: amicum in illam recepisti, hostem senties, tempus prodet. Non gratis tue- bitur Spandauiam Suecus, qui nec amicas ibi opes, gratis sinit ho- spitari. Dabis autem Spandauiam Sueco? dabis vt prouincias tuas

tuea-

tueatur; plus tu quidem dare non voles, ille vt Spandauiam prote-
 gat, minus non accipiet. Calculus Suecâ fide factus, rationes po-
 net, ne Spandauia quidem pares. Non aucupatur hic Rex à clarè
 factis, alijs quæ sitas glorias; si hoc enim esset genio, Magdeburgo fi-
 de toties, Regijs promissis obstrictâ, nō defuisset: prædas cogitat pro
 quibus illi adhuc amicus, & inimicus ager, idem fuit. Contempla-
 re pensulatus hodierna eius studia, crastina damnabis. Non sunt
 opes Hispanicæ quibus hic Rex rem gerit: Suecia magnum nomen,
 longè minus ærarium habet; idque Polonicum decoxit bellum. In
 rapinis spes est. Cæsar non permittet prædas agere, vacuas ille
 Sueciæ inferre manus non volet; vnde replebit? à vestro. quæret
 aliunde? Cæsar obsistet: vos Sueco milite ad incitas redacti, quid
 nisi vacuas protectori esuro relinquetis prouincias? Non venit in
 Germaniam Suecus, vt nummos perdat, adesurit terras; nummis
 operam conductitiam vos non pariabitis, ille non finet. Quam de-
 nique sub hoc Custode tuti sitis, discite, docebit Magde-
 burgum. Ego hoc denique vnum historie
 addo.

Cauete.

**Fælix quem faciunt aliena pericula
 cautum.**



BVST
VIRGI
MAGDEBUR
Historicâ & Poli
illustratur



ANNO M DC X

11. 719.

